

3. Omnino soli DEO, qui ordinarie per media, verbum & Sacramenta, nobiscum agit, gloria tribuitur, *Matth. III, u. 2. Cor. III, 6. 7. Deut. XXV, 6.*

4. Sacramentum circumcisionis quidem adhibetur ad justitiam fidei, & gratiam jam habitam, obsignandam in Abrahamo, aliisque in domo ejus: *Rom. IV, u. Gen. XV, 6. Cap. XVII, u. 23 - 27.* Sed, nonne etiam puellum octo dierum, qui malum rejicere & bonum eligere nondum didicit, circumcidi jussit DEVS? ut ne excinderetur ex populo suo, eo, quod fœdus, gratiam DEI in se continens ac conferens, irritum fecerit, *Gen. XVII, 12. 14.*

5. Ut ablutio fordium carnis non servet; servat tamen Sacramentum baptismatis, loco circumcisionis instituti, quod est bonæ conscientiae interrogatio erga DEVM, *1. Petr. III, 21. coll. cum Rom. II, 28. seq.*

6. Quivis infidelis utitur Sacramento ad judicium suum, *1. Cor. XI, 27. 29.* Ergo non nudum signum est; sed rem continet signatam.

7. Vtique ipsa obsignatio gratiæ divinæ & confirmatio tribuitur DEO Spiritui S. per verbum & Sacramenta ordinarie cum homine agenti, *Epb. I, 13. coll. cum Tit. III, 5.*

Pag. m. 42. Aphorismus 5.

Baptismi administratio fœminis & laicis non est concessa.

Est falsus & erroneus Nam

1. Licet ad administrationem baptismi missio requiratur ordinarie; *Job. I, 33. Matth. XXVIII, 19.* non tamen extraordinarie, ut, inter alia, etiam probabiliter colligitur ex *Act. X, 23. 45. 48. Cap. XI, 12.* ibidem enim ipse Petrus, a DEO missus, non dicitur baptizasse, sed saltem injunxisse baptismum fratribus credentibus ex circumcisione, qui cum ipso venientes, numero sex, atque laici forsan tantummodo fuerunt.

2. Tametsi conjungitur baptismi administratio cum prædicatione Evangelii, & in prima ejus institutione iisdem personis iungitur; *Matth. XXVIII, 19.* interim tamen quoque privatim

Aquila